

niam pertinentem vel spectantem dicte fraternitati, infra unum mensem post eorum introitum,¹⁾ et ab inde in antea nulla fiat ratio, et (ab inde in antea) satisfatiant ipsi novi caniparii de suis propriis bonis dicte fraternitati. ¶ Et si aliquis dictorum canipariorum fuerit confessus et contentus se habuisse
 5 et recepisse a veteri canipario aliquam pecuniam pro parte in sua ratione, ultra id quod sibi accideret vel tangeret in rapta sua, tunc respondere teneatur et dare sociis suis et cum eis et cum quolibet eorum dividere dictam pecuniam sic acceptam equali portione.
 10

Cap. LX. De forma generallis sequiminis. R.c.a.

Iurabunt cives Tergesti sequimen potestatis iudicum vel rectorum qui pro tempore fuerint, nec furtum facere [vel] cellare, et quemcunque viderint furtum comittere quam citius
 15 poterint dominio manifestare, et audita campana arengue, aut cum eis per aliquos // fuerit nuntiatum, quam citius poterint 90 A ad arengam venire bona [fide] et sine fraude, et favorem dare potestati iudicibus vel rectoribus ad observanda ea que spectant ad honorem et bonum statum Tergesti, ac etiam observare ea que per dominium eis fuerint ordinata. ¶ Et potestas iudices sive rectores qui pro tempore fuerint in introitu eorum regiminis sacramento debeant et teneantur facere legi capitullarium vicinitatis, et facere iurare omnes cives et habitantes civitatis Tergesti sequimen dicti regiminis, et sub pena decem
 20 libr. par. dictum offitium comittere capiteriis. ¶ Item quando-
 25 cunque pulsabit ad martellum magna campana palatii communis, venire et currere statim cum armis suis ad palacium comunis apud dominum potestatem et suos iudices, etiam sub pena decem libr. par. pro quolibet contrafatiente, et habere et
 30 tenere omnia arma sibi inposita per comune Tergesti, etiam pena viginti sold. par. pro qualibet arma. ¶ Item quocienscumque ordinabitur sive proclamabitur de mandato domini monstra armorum, venire ad locum deputatum cum suis armis

¹⁾ Aggiunta marginale.